

falsa sint quæ Ctesiphon de me scripsit: apparebit. Quod uero non adiunxit: idemum quum rationem publice  
 administratorum reddiderim: tunc fore coronandum me quæ in theatro coronationem faciendam esse cen-  
 suit: pertinere & hoc puto ad ea quæ in repu. gessi: an dignus sum corona: & theatri præconio: nec ne? Leges  
 etiam ostendendæ uidentur: per quas huic ea scribere licuerit. Per hunc equidem modum uiri Athenienses iu-  
 ste atque recte accusatori respondere statui. Pergo itaque ad illa quæ ipse gessi. Nec tamen quisquam putet me ab accu-  
 satione ipsa sermonem distrahere: si in res græcorum incidero. Nam qui eam prosequitur: in qua scriptum fuit  
 me uerbo & opere benefacere: is necessitatem mihi imponit: huiusmodi res a me gestas referendi. Deinde quæ  
 multæ sint partes: & quasi membra reipublice. ego eam partem mihi assumpsi: quæ ad res græcorum pertinebat:  
 quare ex eis ipsis probationes me facere conuenit. Quæ igitur philippus antequam ego ad rem publicam me con-  
 ferrem occuparat: omitto. Nihil enim id ad me spectare arbitror. Quæ uero ex quo die in hoc loco constitu-  
 tus sum: prohibitus est: hæc ego referam & eorum rationem reddam: hoc tamen præmissis. Magnum adiu-  
 uamentum uiri athenienses temporum conditio philippo attulit. Non enim apud hos uel illos: sed per uniuersam  
 simul gratiam: tanta proditorum ac malorum hominum copia hoc tempore fuit: quanta nemo unquam  
 prius recordatur fuisse: quibus fautoribus & ministris usus philippus: gratiæ populos iam antea haud quaquam  
 adinuicem pacatos nec tranquillos: etiam magis turbauit & hos decipiendo: illis donando: quosdam uero pe-  
 nitus corrumpendo in multas partes discedit: quum una cunctorum eēt utilitas: obitare. scilicet ne ille magnus  
 fieret. In hoc itaque statu rerum: atque in hac ignorantia nascentis atque crescentis græcorum omnium cladis: con-  
 siderandum a uobis est uiri athenienses: quid hæc ciuitas facere quidue eligere debuit. ac huiusce deliberationis  
 a me ratio postulanda. Nam ego has partes reipublice mihi assumpseram gerendas. Vtrum debeat Aeschines di-  
 gnitate sua omissa: instar thessalorum atque delopum philippo auxilium præstare ad gratiam subigendam: &  
 sic maiorum res gestas gloriamque perimere: an uero hoc quidem non facere. nam nimis id certe graue: sed quæ  
 uentura cernebat: si nemo prohiberet hæc qualiacumque forent negligere? At equidem ab eo qui maxime con-  
 silium tunc sumptum reprehendit: libenter nunc peterem: cuius partis thessali & eorum complices dici possunt?  
 An eius quæ propriæ commoditatis spe neglexit hæc uentura: in qua arehades Messenios & argiuos pone-  
 remus? At horum plerique immo uero omnes grauiora quam uos perpeffi sunt. Etenim si simul atque uicerat phi-  
 lippus: uestigio abisset & postea quietem egisset: nulli nec sociorum nec cæterorum molestus: tamen esset ad-  
 uersus eos qui se illi non opposuerunt: quæ reuera quædam atque reprehensio. Sin pariter omnibus dignitatem: im-  
 perium libertatem ademit: ciuitates etiam quantum potuit destruxisset: cur non optimum a nobis consilium  
 sumptum fuisse me auctore atque adhortatore confitendum est. Sed illuc redeo. Quid hunc populum aeschi-  
 nes facere decuit: quum cerneret philippum: dominationem atque tyrannidem sibi in græcia comparatam: aut  
 quid me ciuem & consultorem athenis. nam id quidem plurimum refert decernere: qui sciebam ex omni tem-  
 pore usque ad illam diem: in qua ego suggestum ascendi: semper de principatu: de honore: de gloria patriam cer-  
 tauisse: pluresque & uiros: & pecunias consumpsisse pro dignitate & communi græcorum utilitate: quæ reliqui om-  
 nes græci pro seipsis consumpsierint. Videbam insuper philippum ipsum: cum quo nobis erat certamen pro  
 dominatu atque potentia oculo altero perfosso: fracto humero: manu atque crure debilitatis: quacumque corporis  
 partem abiicere libenter paratum: ut reliquum tempus cum honore atque gloria uiueret. At qui nemo unquam  
 dicere auderet: huic quidem in pelle loco tunc ignobili ac paruo educato: tantam magnitudinem animi con-  
 uenisse: ut græcorum dominatum affectaret & hoc in mente sua poneret. Vobis autem atheniensibus quæ quo  
 tidie in cunctis sermonibus: cunctisque spectaculis monumenta uirtutis maiorum uestrorum intueremini: tan-  
 tam ignauiam adesse debuisse: ut gratiæ libertatem sponte uestra philippo abiiceretis. Nemo certe ista dice-  
 ret. Reliquum erat ergo omnibus quæ contra uos ille per iniuriam faciebat: iuste repugnare. Hoc uos quidem  
 ab initio recte atque ordine fecistis. Ego autem dum in rep. uersarer: hoc idem suasi: fateor id quidem. Sed quid  
 oportebat me facere. iam enim abs te peto cætera omittens Amphipolim: Pyduam: Potydeam: Almuliam  
 omnium horum obliuiscor: Ferrium: atque Doriscum: & Perarithi direptionem: ac alias huiusmodi iniurias præ-  
 tereo: nec si unquam fuerint scio. Quæquam tu modo asseruisti me ista dicentem hos in bellum coniecisse: cum  
 Euboli & Aristophontis & Diopitis sint ista decreta non mea. O quæcumque cupis faciliter asserens: nec tamen  
 in præsentia de his loquar: sed qui Euboa occupata: oppugnaculum aduersus Athicam instituerat: qui Mega-  
 ram tentarat: qui Oreon occupauerat: qui Porthinum diruerat: qui in Oreo philistudem: in Eretria Clytar-  
 chum tyrannos posuerat: qui Hellepontum tentarat: qui Bizantium obsederat: qui urbes græciæ alias euer-  
 tebat: in aliis exules reducebat. Vtrum quum ista faceret: iusurandum contemnebat & pacem rumpebat: an  
 non. Et utrum hoc prohibere quenquam græcorum oportuit: an non. Si nullum oportuit: sed miserorum (ut  
 aiunt) præda fuit græcia concedenda uiuis atheniensibus atque extantibus superuacua fuerunt meæ curæ: iu-  
 peruacua etiam ciuitatis opera: quæ mihi assensa est. Omnia hæc meæ culpæ: atque meo errori ascribatur. Sin  
 autem oportuit quæquam his se opponere: quem alium quam atheniensium populum magis decebat. Horum  
 igitur ego tunc auctor fui: & aduersus illius impetum: quo cunctos mortales in seruitutem rapiebat: ipse resti-  
 ti: semper admonens: atque obtestans hoc philippo nequaquam esse concedendum: pacem tamen ipse rupit:  
 naues capiendo: non ciuitas aeschines. Affer decreta ipsa: & philippi epistolam: & per ordinem recita: nam  
 ex eorum cognitione quis cuiusque rei causa fuerit: manifeste apparebit. **DECRETVM.** Huius igitur decre-  
 ti Eubolus auctor fuit: non ego. Proximi uero Aristophon: deinde Egeippus: postea rursus Aristophon: po-

obliuiscor  
 (finit qui)